



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quomodo cum Gregorius deducantibus eum militibus Alexandriam
venerat, Athanasius salutem sibi fuga quaesierat. Cap. VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

tiohiæ vel maximè, vbi ad annum integrum terra concussa & exagitata fuit.

Quomodo cum Gregorius deducantibus eum militibus Alexandriam venerat, Athanasius salutem sibi fuga quaesierat. CAP. VIII.

HIS rebus constitutis, Syrianus dux, & milites armati vna ad quinque milia, Gregorium Alexandriam deduxere. Ariani autem ibi illis venere subsidio. At qua ratione Athanasius ecclesia exturbatus, eorum manus effugerit, dicendum arbitror. Iam aduersperascebat: populus per totam noctem, quia communio futura erat, aduigilat. Accedit dux, militibus per phalanges dispositis, ecclesiam circumdat. Quæ cum animaduertisset Athanasius, omnè suam curam & cogitationem eo contulit, vt populus nihil damni ipsius causa caperet. Dat mandatum Diacono, vt preces populo prædicaret. Psalmum recitare iubet. Cum psalmus suauius & cum concentu decantaretur, vniuersus populus per vnã portam ecclesiæ egreditur. Dum istud gerebatur milites absque tumultu acquiescunt: Athanasius autem in media canentiũ turba euadit incolumis. Isto pacto, è periculo ereptus, Romam prope contendit. Tum Gregorius ecclesiam illam occupat. Populus Alexandrinus, quod factũ erat iniquo animo ferens, ecclesiam, quæ est Dionysii nomine appellata, incendit. Sed de his satis multa.

Quomodo post mortem Eusebij populus Constantinopolitanus Paulum rursus in episcopali sede locauerat, & Ariani contra Macedoniũ delegerint. CAP. IX.

EVsebius, simul atque ea, quæ volebat, confecerat, legatum ad Iulium Episcopum Romanum oratum misit, vt ipse in causa Athanasii iudex esse vellet, litisquæ diiudicationem ad se transferret. Verùm ea, quæ erant à Iulio de Athanasio iudicata, ad aures Eusebij neuti-quam perueniunt. Nam paulo post dimissum Concilium, exiuit è vita. Quapropter populus Constantinopolitanus Paulum in Ecclesiam denuo introducunt. Eodem temporis momento